Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



Idem Reg. c. I: Monachorum quatuor esse genera, manifestum est. Primum Cœnobitarum: hoc est, monasteriales militans sub regula vel Abbate. Deinde secundum genus est Anachoretarum, qui bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam eremi contra vitia carnis vel cogitationum, Deo auxiliante sufficiunt pugnare. Hinc etiam vides, Cœnobitas omnes esse Monachos, at non vicissim: vides ante S. Benedictum fuisse Monachos, et quidem alios Cœnobitas, alios Anachoretas; reliqua Monachorum genera reprobat S. Pater: ~~Vid~~ qui nequaquam primus fuit Monachorum in Occidente institutor, nisi votum perpetuæ stabilitatis ~~ad~~ ad vitam monasticam requiri velis, quod ipse primus invexit. Quod si requiras, ~~At~~ ~~Verum~~ sic dicere debebis contra Cassianum, aliosque omnes, nullos fuisse ante S. Benedictum Monachos. Vide supra Annal. nostr. c. I, II, et III cum Additionib. Sed fortasse Monachos esse negas, qui lucro et curæ animarum dant operam. Sed quæso! S. Antonius nonne Monachus fuit? ~~Et~~ et verbum Dei prædicavit Alexandriæ. S. ~~Basilius~~ Benedictus an Monachus non fuit, quia in monte Cassino lucos et idola destruxit, populum ad Christum convertit? Innumeri alii sub hujus Patriarchæ regula militantes, dum fidem Christianam in Angliam, in Germaniam, in Scandiam, in Sarmatiam, in alia orbis regna intulerunt, Monachi non fuerunt? Itaque hoc solum concedo: Clericos vi status sui ad animarum curam teneri, Monachos non item, sed eam libere exercere absque status sui præjudicio posse. His observatis, lubens assentior Hansizio, S. Valentinum ædificasse Monasterium Monachorum / cœnobitarum militantium sub Regula S. Evangelii et Abbate ipso S. Valentino; ꝑ quo eum titulo honorat ~~S. ej~~ S. Lucillus apud Eugippium in vit. S. Sev.

22) Tabula plumbea nullam sive Teriolorum sive Majarum facit mentionem. Ratio hæc videtur; quia tunc temporis et urbs Teriolensis jam destructa erat, et Majensis nondum surrexerat. Anonymus tamen Passaviensis, Valentinum Majis construxisse Oratorium, et ~~circa illud~~ juxta illud vitam duxisse solitariam; dum Corpus Sancti in Ecclesia, quam ipse condiderat, humatum esse, idem vero postea e castro Magiensi Passavium translatum, scribit. De situ Majarum vide Tabulam geogr. II.

23) Roschmannus Valent. Ms. p. I, c. 17, verba illa Anonymi: circa Alpes contra Italiam, explicat de Alpibus Tridentinis; ~~dein e~~ Et in Epit. omne impr. c. 10: Solchemnach